

1439 tendit. Miles, quanquam lubrico & abrupto montis ascensu vix consistere poterat, præsentia tamen & voce ducis adjutus clivum impigre superat. Inde Sforcia suum Troilum cum equitatu circa oppidum pugnam ferociter cientem militibus ostentat, hortaturque eos properare, atque ejus victoriæ palmam equiti præripere. Ipse inde agili & rapido cursu ad crepidinem delatus, unde a suis & videri & exaudiri poterat, alacri voce Troilum, Nicolaum Pisanum, & alios appellans, hortatur jubetque hostium agmen cuneo percurrere: jam se cum cohorte peditum hostes jugo summovisse. Ad pedestrem inde aciem conversus, dum ad eos concitandos properat, ecce, procul jam occupato loco, videt suos disiectum hostem per collis declivia præcipitem agere: tum lætis clamoribus atque hastam quatiens, *Eja*, inquit, *fortes socii, instate, & timidum hostem, ne pugnam reparet, a tergo, a lateribus premite*; atque ita prælio altera parte defunctus, ad equitem hortandum redit. Hic recentis cohortis interventu aliquanto victoria laboriosior fuit: sed ultima impressione a Sforcianis facta, quia jam allatum erat, præsidium ex summo jugo dejectum, quod unum effecit, ut fluctuare cœpisset hostium acies, captoque Cæsare Martinengio, qui medio prælio acriter pugnabat, summoti loco in fugam hostes palam sunt acti: eos palatos Sforcianus miles victor insequitur, multos obtruncat, multos quoque abjectis armis deditos capit. Post Cæsarem Carolus Gonzaga cum ducentis equitibus & peditibus trecentis in Venetorum potestatem venit. Credidit ab initio Sforcia, Picininum quoque a suis interceptum: qui ubi inter captivos non est relatus, quinque aureorum nummum millia proposuit, si quis eum ex fuga retraxisset. Ille vero quum se trepide in oppidum recepisset, latuit per diem, ne si victor hostis rescivisset se Thenii esse, attentissima obsidione oppidum cingere perseveraret, omnemque evadendi adimeret facultatem. Intempesta igitur nocte pannis obsitus, pro lacero vulneribusque confecto milite humeris extra oppidum delatus, averfis itineribus Ripam oppidum pervenit, quo

*Sforcia hostes ad Troilum ingenium in prælio vincit.*

*Picininus quemodo servatus.*